

vilegio Ecclesiasticis confugii, & asyli tam apud Ecclesias, & loca immunita ab ipsis sic violata, quam apud alias quascumque Ecclesias, & Loca Sacra, & Religiosa indignos, atque privatos fore, & habendos esse, non secus ac alii omnes, qui consuegentibus vim inferunt, aut ipsos ab Ecclesia, aliove loco immuni violententer extrahunt, & abducunt; quos scilicet laudatus Prædecessor Benedictus XIII. in sua allegata Constitutione, non illius tantum Ecclesie, quam violavit, sed cuiuscumque etiam alterius Ecclesie immunitate gaudere nequaquam posse, aut debere declaravit; & quorum Nos numero supradictos etiam jure, & merito accensendos esse decernimus.

§. 15. Denique quum, sicut accepimus, inter temporalis domini nostri, ac nonnullarum finitarum ditionum Curias, reciproca quadam consuetudine inoleverit, ut qui certi generis delicta in alterutra ex ditionibus hujusmodi commiserint, & intra fines alterius se receperint, instante Curia illius ditionis, in qua delictum commissum fuit, capiuntur, eidemque Curie tradantur; cumque, sicut etiam Nobis expositum fuit, hujusmodi traditionibus aliquando moram afferri contingat, propterea quod delinquentes hujusmodi, in tertis, ad quas confugerunt, sub Ecclesie alicujus, vel alterius loci immunitis tutela se receperint; idcirco Nos, Ecclesiasticæ Immunitatis rationes cum recta Justitiæ administratione, & Reipublicæ tranquillitate opportunè copulare volentes, decernimus, & mandamus, ut, si hujusmodi confugiens delictum aliquod ex his, quæ in Apostolicis Constitutionibus præfatis excepta sunt, in temporali Romanæ Ecclesie dominio patravertint; indicia ad capturam requisita, ab Episcopo Diocesano, seu respectivè viciniore illius loci, in quo delictum commissum fuit, excipiantur, seu cumulentur; eaque ad Episcopum alterius loci, in quo delinquens asylum cepit, sine mora transmittantur; ut hic nimirum, quatenus traditioni præfata locus esse debeat, extractionem delinquentis è loco immuni, auctoritate sua, & cum interventu personæ Ecclesiasticæ, fieri mandet. Eademque ratione, si in præfatis aliorum principum ditionibus, in quibus traditionis prædictæ consuetudo viget, ejusmodi delictum commissum fuerit, quod, sive in vim Gregorianæ, aut Benedictinæ Constitutionis, sive ratione Concordati cum Apostolica Sede initi, sive extensionis alterius Constitutionis Clementis XII. ab eadem Apostolica Sede specialiter impetratæ, pro excepto haberi debeat; volumus, & statuimus, ut Episcopus ille, ad quem, ratione loci delicti commissi, id pertinere dignoscitur, memorata indicia ad capturam requisita cumulari faciat, eaque transmittat ad Episcopum Ditionis Ecclesiasticæ, intra cujus jurisdictionis fines illius delicti reus aylum delegit; ut hujus scilicet Antistitis auctoritate, aliique servatis servandis, à confugii loco extrahi, ac, si ita res

feret, externæ postulanti Curie valeat consignari. Volumus tamen, in quolibet ex præmissis casibus, in quibus de delictis, ut supra, exceptis tantummodo agitur, prædictarum Benedicti, & Clementis Constitutionum, seu Concordatorum respectivè leges, atque tenores inviolabiliter observari; tum scilicet in eo, ut delinquentes Ecclesie nomine in carceribus retineatur; tum etiam in eo, ut per Episcopos dumtaxat, privativè quoad omnes alios, etiam Ecclesiasticos Judices, ex indicis, ut præfertur, ad torturam sufficientibus, declaretur, an delictum, de quo est questio, inter excepta connumerari debeat, necne; tum denique in eo, quod pertinet ad obligationem restituendi reum ad formam dictarum Constitutionum, quatenus is in progressu causæ, indicia hujusmodi sibi adversantia purgaverit, atque diluerit.

§. 16. Ipsas demum præfatas Litteras, & in eis contenta quæcumque, perpetuæ firmitatis vim, & robur habere, suosque integros, atque plenarios effectus, in locis, atque ditionibus prædictis, ac respectivè ubilibet locorum, & gentium, sortiri, & obtinere, atque ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & quoquomodo pro tempore spectabit in futurum, etiam sub statutis pœnis, atque censuris per contravenientes ipso facto incurrendis, omnino servari; sicque, & non aliter, in præmissis, per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegates, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesie Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Cardinalium hujusmodi Congregationes, & Apostolicæ Sedis Nuncios, necnon Sæculares Curias, & Magistratos, etiam supremos, aliove quoslibet, quæcumque præminencia, & potestate fungentes, & functuros, & etiam specialiter nota, & mentione dignos, sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere decernimus, ac irritum & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contingerit attentari.

§. 17. Non obstantibus præmissis, aliisque quibuslibet Apostolicis Constitutionibus, Regulis, & Ordinationibus, necnon quarumcumque Ecclesiasticarum, aut Sæcularium Curiarum legibus, edictis, statutis, usibus, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, indulgiis, & facultatibus, quibusvis personis, etiam speciali mentione dignis; & quavis quantumcumque sublimi dignitate, & auctoritate fulgentibus, & ex quibusvis, etiam gravibus, & urgentissimis causis, seu quibuscumque Regularium Ordinibus, etiam Mendicantium, & Militaribus, etiam S. Joannis Hierosolymitani, seu Monachorum, aut Clericorum Regularium Congregationibus, Societatibus, & Institutis, etiam Societatis Jesu, aliisque quibusvis, etiam sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, & cum quibuscumque clausulis, & decretis, etiam motu, & potestatis plenitudine similibus, seu con-

stitutionaliter, aliis quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, ac pluries confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores, formas, & causas præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, atque etiam insertis, ac respectivè servatis habentes, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, prædictis motus scientia, & potestatis plenitudine derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque: seu si aliquibus communiter, aut divisim ab hac eadem sit Sede indultum, quod nullo in casu, seu extra certos casus, cæterisque de causis, excommunicari, suspendi, aut interdicti non possint, nisi per Litteras ejusdem Sedis, facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem.

§. 18. Ut autem præfatas Litteras, & in eis contenta hujusmodi, ad omnium notitiam perdantur, nec quisquam de eis ignorantiam præterdere valeat, volumus easdem ad valvas Ecclesie S. Joannis in Laterano, & Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, necnon Cancelliariæ Apostolicæ, Curieque Generalis Innocentianæ, aliisque locis solitis, & consuetis ejusdem, Urbis, per Cursores nostros, ut moris est, publicari, earumque exempla asigi,

sicque publicatas, & affixas, omnes, & singulos, quos concernunt, seu concernent in futurum, perinde afficere, ac si univocis illorum personaliter intimatæ, & notificatæ fuissent; earum quoque Transumptis, seu Exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eandem fidem in judicio, & extra illud ubique haberi, quæ ipsis præsentibus haberetur, si originaliter exhiberentur, & ostenderentur.

§. 19. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum declarationum, definitionum, ordinationum, confirmationum, prohibitionum, mandatorum, decretorum, & voluntatum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ MDCCXLIX. Idibus Martii, Pontificatus nostri anno decimo. D. Card. Passioneus. J. Datarius. Visa de Curia. J. C. Boschi. Loco ✕ Plumbi. J. B. Eugenius. Registrata in Secretaria Brevium. Publicata die 6. Aprilis ejusdem anni.

CIRCA SIMONIAM, BENEFICIA, ET PENSIONES.

Ad dict. Cap. 3.

Prohibentur cessiones commodi exigendi fructus Beneficiorum.

BENEDICTUS EPISCOPUS SERVUS
Servorum Dei, ad perpetuam rei
memoriam.

UNIVERSALIS Ecclesie cura, quam inscrutabilis Divinæ Sapientiæ, atque bonitatis altitudo humilitati nostræ committere dignata est, inter cæteras sollicitudines exigit etiam, ac postulat, ut diligenter invigilemus, ne Clerici Ecclesiasticis Beneficiis, quæ è liberali Ecclesie manu acceperunt, abutentes, eorum redditus, non sine aliorum fideliū scandalo; inconsulta prodigalitate disperdant, sed tanquam boni dispensatores ita administrent, ut & vitæ suæ necessaria provideant, & pauperum inopia, & Ecclesiarum necessitatibus succurrant.

Relatum est ad aures nostras, quosdam Clericos Ecclesiasticis Beneficiis cum onere, vel sine onere residentie privos, turpibus ut plurimum ex causis impulsos, annuos eorundem Beneficiorum redditus, quos, donec viverent percipere possent, unico actu alienare sub nomine cedendi commodum, seu utilitatem percipiendi fructus eorundem Beneficiorum, quos alteri quoad vixerint, vendunt,

recepta pecunia ad eam summam, & quantitatem, quam ipsi, habita ratione eorum ætatis, & corporis valetudinis, durante vita, verifimiliter consequi possent. Cum autem isti improvidi Clerici instar illius prodigii filifamilias, de quo in Evangelio scriptum est, cum substantiam suam à Patre recepisset, totam statim consumpsisset luxuriosè vivendo, & deinde facta fame valida, coactum esse vivere de siliquis immundorum animalium; pia Ecclesie subsidia, & Ecclesiasticos proventus in suas explendas cupiditates improbo hujusmodi contractu profundant; multa hinc, & gravia mala, ut experientia ipsa compertum est, evenire solent. Nam primum non leve dedecus Ecclesiastico Ordini inuritur, & grave reliquis fidelibus scandalum generatur, dum vident, Ecclesiasticas pecunias, quæ sunt vota fidelium, bona pauperum, patrimonium Christi in pravos usus infusi, vel improvida profusione dissipari, quæ ab Ecclesiasticis tanquam probis dispensatoribus in solamen pauperum, & Ecclesiarum restitutionem impendi deberent. Præterea sæpe hujusmodi Clerici ad summam rediguntur egestatem, & ut se sustentare possint, vel in-

decorē non sine infamia Clericalis gradus mendicant, vel indignis quælibet, & negotiis operam præbent, Ecclesiam autem, & Ecclesiasticas res quodammodo averfiantur quasi fraudati mercede, vel stipendiis suis, quæ nullius culpa, sed solum vitio, & flagitiis suis amiserunt; ideo Ecclesiastica munera, vel nunquam, vel negligenter obeunt, divinam Psalmodym, si ad eam in publicis Ecclesiis ratione suorum Beneficiorum teneantur, frequent. omitunt, vel oscitanter perfolvunt, Ecclesiasticos cœtus non frequentant, animarum salutem non curant, divina fastidiunt, mundana sectantur.

Volentes igitur hanc improbam consuetudinem, & non ferendam pravitatem, qua non mediocriter Clericalis Ordinis fama minuitur, & honor concalcatur, Ecclesiam autem debito servitio, pauperes opportunis subsidiis, & sacra adus necessariis reparationibus, & ornamentis fraudantur, penitus abolere; motu proprio, ac certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolica potestatis plenitudine omnibus Clericis quacumque dignitate, præminetia, honore, & privilegio insignitis interdiximus, & prohibemus, ne in posterum audeant sub nomine alienandi utilitatem, & commodum percipiendi fructus, vel alio quovis titulo pretextu, & colore vendere, ac distrahere titulum respectivè Beneficiorum redditus, & proventus, vel ad vitam, vel in longum tempus recepta ab emptore per unam, vel plures solutiones pecuniarum quantitate: quam ipsi Beneficarii per eisdem temporis, vel vitæ spatium probabiliter consequi possint, sub pena excommunicationis, nullitatis actus, seu contractus, & omnium inde confessorum, alisque pœnis inflicis, præscriptis, & statutis contra alienantes bona Ecclesie, quas rursus hic contra eisdem Clericos sic contrahentes renovare, decernere, ac statuerè intendimus, & volumus. Et insuper ad uberiores cautelam, & quantum opus sit, omnes hujusmodi contractus, quos in futurum fieri contigerit, motu, scientia, deliberatione, & potestate simili damnamus, reprobamus, cassamus, irritamus, & annullamus, eosque nullos, cassos, ac irritos decernimus, & declaramus, illosque suis auctoribus tanquam invalidos, cassos, irritos, atque inanes, viribulque, & effectum ab initio vacuos, neque in judicio, neque extra, ad ullum effectum suffragari debere, neminemque ad eorum observantiam obligari, etiam si pluries juramento firmati, & vallati sint, sed nullum inde jus cuicumque, aut actionem, vel titulum etiam coloratum possidendi, aut præscribendi per quodvis longissimum temporis spatium acquiri unquam posse pariter præcipimus, & jubemus.

Decernentes, easdem præsentès litteras, & in eis contenta quacumque nullo unquam tempore impugnari, & retractari posse, sed semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac ab om-

nibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, inviolabiliter observari; sicque, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices Ordinarios, ac Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac prædictæ Sanctæ Romanæ Ecclesie Cardinales, etiam de Later Legatos, & Sedis Apostolicæ præfate Nuncios, aliove quoslibet quacumque præminetia, & potestate fungentes, & functiones, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiti debere; ac irritum, & inane, si secus super his à quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari: non obstantibus quibuscumque privilegiis, indulgentiis, concessionibus, & gratiis Apostolicis, tam generalibus, quam particularibus, quantumvis speciali mentione, & nota dignis quibuscumque Archiepiscopis, Episcopis, & aliis superioribus, & inferioribus Ecclesiarum Prælati, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesie Cardinalibus, ac eorum, & nostris familiaribus continuis Commentariis, necnon Litterarum Apostolicarum Scriptoribus, Abbreviatoribus, cæterisque Romanæ Curie Officialibus concessis, & confirmatis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Ut autem facilius præsentès Litteræ omnibus innotescant, & nemo prætextu illarum ignorantia excusari possit, jubemus, easdem ad valvas Ecclesie Lateranensis, & Principis Apostolorum necnon Cancellariæ Apostolicæ, Curieque Generalis in Monte Citorio, ac in Acie Campi Floræ de Urbe, aliisque locis solitis, & consuetis, ut moris est, publicari, earumque exempla affigi: Volumusque, eas sic publicatas omnes, & singulos perinde afficere, & obligare, ac si illis ipsis fuissent singulariter intimatæ: Exemplis quoque prædictis, etiam impressis, manuque Notarii publici, & sigillo Prælati Ecclesiastici, vel ejus Curie obsignatis eandem prorsus fidem adhiberi, que ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri decreti, constitutionis, declarationis, annullationis, infirmationis, prohibitionis, interdictionis, ac voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contrariæ. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac B. Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo primo, quarto Kalendas Septembris, Pontificatus nostri anno secundo. Visa de Curia, N. Antonellus, X. Sub. Datarius, D. Card. Pasionius. Loco s. Plumbi. J. B. Eugenius.

Anno à Nativitate Domini Nostri Jesu-Christi millesimo septingentesimo quadragesimo primo, Indictione quarta, die vero tercia Octobris Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Do-

mini nostri D. Benedicti, Divina Providentia Papæ XIV. anno secundo, supra dicta Constitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Basilicæ Lateranensis, & Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ,

Curie Generalis in Monte Citorio, & in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Josephum Olivetanum Apost. Cur. Antontus Pellicia Mag. Curf.

Prohibentur, & annullantur Resignationes Beneficiorum cum Reservatione Pensionis, & pacto eam cassandi.

BENEDICTUS EPISCOPUS, Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

IN sublimi Beati Petri Cathedra divina dispensatione, licet immerentes, collocati, gravi dolore constringimur, quoties consideratione nostræ oculos convertimus ad præstantiorem Dominici Gregis partem, hoc est ad Ecclesiasticum cœtum, eumque conspicimus, vel pravis moribus, vel indecoris actibus dehonestari; non enim ignari sumus, quanta sit inde in populis corruptionis timenda pernicies, si sal, unde cætera condiri debent, evanuerit.

§. 1. Pervenit quidem ad aures sollicitudinis nostræ, non raro contingere solere, ut quidam Clerici in minoribus, vel majoribus ordinibus constituti, aut sola Ecclesiastica tonsura decorati, Beneficia, seu Officia simplicia, vel cum onere residentie possidentes, aliis resignant, annua sibi pensione sub Apostolico beneficio reservata, in initio eodem tempore pacto cum Resignatorio, cassandi, & abolendi dictam pensionem, repræsentata pecunia, nempe factis quibusdam anticipatis solutionibus pecuniarum ad eam summam, que ad abolitionem, & extinctionem prædictæ pensionis, vel potius ad palliatam ipsius beneficii venditionem nefariè perficiendam, expressa inter Partes conventione, stabilita fuit. Et quoniam profani isti Beneficiorum distractores non ignorant, quod si hujusmodi improba pacta Dataria Apostolica nostræ Ministris, aut Nobis innotescerent, nunquam resignationes hujusmodi à Datario, vel Prodatario nostro, vel à Nobis, aliisque Romanis Pontificibus pro tempore existentibus admitterentur; ut circumspèctam eorundem Datarie Apostolicæ Officialium, & nostram, aliorumque Pontificum vigilantiam fallerent, callida malorum hominum improbitas hanc perditionis viam, & rationem excogitavit: arcano, & clandestino pacto inter Resignantem, & Resignatarium ad pensionem cassandam, & extinguendam, conventa pecunie quantitate, eaque quandoque etiam deposita apud publicum mercatorem, seu mensam argentariam, unitim, ac simul expedire curant Bullam resignationis Beneficii, & alteram Pensionis reservatæ super eodem Beneficio favore Resignantis; ita tamen, ut prope eodem, vel non multo post tempore, quo

Supplicationi pro reservatione Pensionis solita data opponitur, alia supplicatio subscribatur, seu signetur pro cassatione, atque extinctione ejusdem Pensionis per anticipatas, seu anticipandas solutiones faciendâ, nulla mentione facta de præcedenti abominanda conventione, & simoniacam labem redolente pacto, quo Beneficii resignatio in occultam ipsius Beneficii venditionem execrabili transformatione commutatur.

§. 2. Cum autem hujus generis pacta improba, reprobanda, damnata sint, & gratiæ hujusmodi cassationis, seu extinctionis Pensionis, tanquam subreptitiæ, & dolosa calliditate obtentæ, & quæ, rei veritate, & totius negotii serie expressa, nunquam à Sede Apostolica concessæ fuissent, nullæ, irritæ, ac inanes sint, & in maximum animarum, eas fraudulenter impetrantium damnum, ac detrimentum tendant, & præterea scandalo simplicibus, & bonis abominationi, & pluribus aeterno exitio sint: Si quidem gratiarum hujusmodi impetratores, qui Ecclesiastica Beneficia tali infami mercatu negotiantur potius, quam resignant, non solum gravissimum peccato, quod præ oculis habere debent, animas suas illaqueant, sed insuper palam apud omnes in populo, non sine infamia Ecclesiastici ordinis, execrantur, & contemuntur: Et si pro aliis Beneficiis obtinentis ad Datarium Apostolicum accedere ausi fuerint, tanquam Beneficiorum Venditores malè audiunt, & publicè redarguuntur; cum statim ipsis ab eorum competitoribus opponatur Resignatio facta, cum cassatione Pensionis per anticipatas, seu anticipandas solutiones, hoc est, indigna Beneficii jam antea obtenti negotiatio, & clandestina sub ambagibus, & fraudulentis conventionibus detestanda venditio.

§. 3. Nos igitur hoc execrabile malum, quo non leve Ecclesiastico Ordini dedecus, & infamie nota inuritur, prout necessitas, & pastorale munus postulat, coercere in futurum volentes, & longè à Sanctuario Dei profanam hujusmodi abominatorem remove, motu proprio, ac certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine statuimus, & declaramus, omnia hujusmodi pacta, & conventiones pro cassatione, seu abolitione Pensionum per anticipatas, vel anticipandas solutiones contemporaneè ad Resignationes Beneficiorum, cum reservatione Pensionis, per quascumque personas quasvis dignitate, ho-

nore, ac præminencia insignita inita, tanquam à Sacris Canonibus, & Apostolicis Constitutionibus improbata, & simoniacam labem redolentia, nulla, casta, ac irrita esse; & omnes cassationes, abolitiones, & extinctiones Pensionum hujusmodi, quas in posterum intra sex menses, à die capte possessionis Beneficii per Resignatarium computandos, fieri contigerit, etiam nullum præcedens pactum intervenisse inter partes probari possit, & cassatio prædicta secuta sit vigore Supplicationis manu nostra, vel Romani Pontificis pro tempore signata, quam nullatenus, tanquam per subreptionem, & fraudes obtentam, neque in iudicio, neque extra, ad ullum effectum eis suffragari volumus, irritas, nullas, & inanes esse, ac omnibus viribus, ac effectu vacuas, & quatenus opus sit, motu, scientia, & deliberatione simili, deque Apostolica potestatis plenitudine, tenore præsentium damnamus, revocamus, annullamus, cassamus, & abolemus, & insuper tam Resignantem, quam Resignatarium ab omni jure Beneficii decidisse, eosque ipso facto absque alia declaratione, vel Judicis sententia, privatos, & ad alia obtinenda inhabiles esse, ac fore, & à quocumque Beneficio hujusmodi, tanquam de jure, & de facto vacans, impetrari posse; & præterea Resignantem ad restituendas pecunias pro cassatione Pensionis hujusmodi indebitè, & simoniacè perceptas, quæ arbitrio Ordinarii erunt piis locis applicandæ, vel pauperibus personis distribuendæ, sub peccato gravi teneri, & Ecclesiasticis remediis, ac penis, si renuat, ipso jure, absque alia sententia, & declaratione, cogi posse, motu, scientia, & potestate pari decernimus, & declaramus.

§. 4. Et quoniam multa malitia hominum est in terra, ut omnis aditus fraudibus, & dolis, quos perverfa nonnullorum calliditas, & exitium sui ingeniosa excogitare consuevit, quoad fieri potest, intercludatur; volumus, præcipimus, & declaramus, sub hac nostra voluntate, constitutione, & dispositione comprehendi omnes, & singulas cessiones, seu translationes in ipsum Resignatarium, aut in aliam personam, commodi, seu utilitatis percipiendi fructus pensionum hujusmodi, necnon alias quascumque cessiones, translationes, resignationes, extinctiones, abolitiones, quovis modo, titulo, nomine, colore, & auctoritate, per anticipatas solutiones, seu repræsentata pecunia factas intra dictum tempus sex mensium; & etiam ultra id temporis spatium, dummodo reprobum illud, & detestabile pactum præcessit constitit.

§. 5. Mandamus præterea, & jubemus, eandem præsentem litteras perpetuo firmas, validas, & efficaces existere, & fore, & nullo unquam tempore sub quovis colore, & prætextu, etiam defectu nostræ intentionis, impugnari posse: Sicque, & non aliàs, in præmissis omnibus, & singulis, per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac præ-

dictæ S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Sedis Apostolicæ præfati Nuncios, aliosque quolibet quacumque præminencia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, & interpretandi facultate, & inane, si fecus super his à quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari: Non obstantibus Resignantium, seu Cedentium voluntatibus, conditionibus, protestationibus, & clausulis in ipsismet resignationibus, & cessionibus, seu Procuratorum constitutionibus, & Mandatis, ac aliàs, etiam ad præservacionem suorum jurium, & significationem, quod non aliter, nec alio modo resignant, seu cedunt, appositis, & quacumque verborum vi, formula, & multiplicatione, & amplitudine expressis, necnon quibusvis indultis, privilegiis, & gratiis Apostolicis, tam generalibus, quam particularibus, quantumvis speciali mentione, & nota dignis, quibuscumque Archiepiscopis, Episcopis, & aliis superioribus, & inferioribus Ecclesiarum Prælati, etiam S. R. E. Cardinalibus, ac eorum, & nostris familiaribus, continuis commensalibus, necnon Litterarum Apostolicarum Scriptoribus, Abbreviatoribus, ceterisque Romanæ Curie Officialibus concessis, & confirmatis, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Cæterum, ut facilius præsentem Litteræ omnibus innotescant, & nemo prætextu illarum ignorantiæ excusari possit; jubemus, eandem ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, & Principis Apostolorum, necnon Cancellariæ Apostolicæ, Curieque generalis in Monte Citorio, ac in Acie Campi Floræ de Urbe, aliisque locis solitis, & consuetis, ut moris est, publicari, eorumque exempla affigi: Volumusque, eas sic publicatas, omnes, singulos perinde afficere, & obligare, ac si illis ipsis fuissent singulariter intimata: Exemplis quoque prædictis, etiam impressis, manueque Notarii publici, & sigillo Prælati Ecclesiastici, vel ejus Curie obignatis, eandem prorsus fidem adhiberi, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensa.

§. 7. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostri decreti, constitutionis, declarationis, annullationis, infirmationis, prohibitionis, interdictionis, ac voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo primo, quarto Kal. Septembris, Pontificatus nostri anno II. *D. Card. Passioneus. X. Sub Dataviv. V. de Curia. N. Antonellis. Loco X. Pamblii. J. B. Eugenius. Registrata in Secretaria Brevium. Publicat. die 3. Octobris ejusdem anni.*

Occur-

Occurritur abusibus in expeditione Resignationum Beneficiorum inductis.

BENEDICTUS EPISCOPUS,
Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Ecclésiastica ministeria, & officia nec ab obtinentibus temerè deseri, aut minus recta ratione, vel causa dimitti, nec à minus idoneis assumi, & exerceri, neque demum ullo pacto in cupiditatis, & avaricie fomentum transferri volentes Prædecessores nostri Romani Pontifices, plura peculiariter observanda statuerunt in admittendis Beneficiorum, sive Officiorum Ecclesiasticorum dimissionibus, ac cessionibus, & eorundem sic per resignationem vacantium provisionibus, & concessionibus, quæ omnia non modo nostram approbationem, & confirmationem promereri, sed etiam quò certius propositum reipà fortiantur effectum, uberius providentia nostræ consilii, prout rerum necessitas suavit, stabilienda, & amplianda Nobis esse judicavimus.

Postquam enim beata memoriæ S. Pius Papa V. Prædecessor noster per suam Schedulam Motus proprii, quæ incipit: *Cogit Nos*: Anno Domini MDLXVII. die XIII. Martii, Pontificatus sui, anno II. editam, methodum, & formam designaverat servandam in expeditione Litterarum Apostolicarum, super gratis Resignationum quorumcumque Beneficiorum, sive Officiorum Ecclesiasticorum, certasque opportunas clausulas, expressiones, & limitationes, in hujusmodi Litteris respectivè apponendas proinde ordinatione præscriperat; seorsumque anno MDLXVIII. per suam Constitutionem, quæ incipit: *Quanta Ecclesia Dei*: datam apud S. Petrum Kalendis Aprilis, definiivit, & declaravit, quænam Beneficiorum, & Officiorum hujusmodi resignaciones, seu dimissiones ab Episcopis, & aliis ad id facultatem habentibus, quibusque ex causis recipi, & admitti possent, aliaque in ipsis dimissionibus, seu resignationibus, necnon eorundem Beneficiorum resignatorum collationibus respectivè cavenda decrevit; censuras in contravenientes pronuntiando, aliaque penas respectivè statuendo, prout in Scheda, & constitutione prædictis plenus continetur.

Cum vero adhuc præfati Sancti Pii Prædecessoris Leges, & Ordinationes, ad compescendas fraudes, & simulationes, quæ in hujusmodi Resignationibus hominum malitia committebantur, non satis proficere, experiendo compertum esset; placuit felicis recordationis Gregorio Papæ XIII. Prædecessori pariter nostro in sua Constitutione, quæ incipit: *Humano vix iudicio*: data apud S. Petrum nonis Januarii, anno Incarnationis Dominicæ MDLXXXIIII. Pontificatus sui XII. decernere, & constituere, ut omnes, & quacumque resigna-

tionibus, cessionibus, sive retrocessionibus, quæ deinceps de quibuscumque Ecclesiis, Monasteriis, Prioratibus tam Virorum, quam Mulierum, Dignitatibus, Officiis, & Beneficiis Ecclesiasticis secularibus, & quorumvis Ordinum, etiam Militarum, Regularibus, etiam electivis, & manualibus, ac etiam de jurepatronatus Laicorum illustrium; & alias quomodocumque existentibus, sive pacificis, sive in petitorio, aut in possessorio litigiosis, etiam de quibus in Consistorio disponsi consuevit, seu debet, in manibus Romani Pontificis pro tempore existentis, ex quacumque causa, & quolibet modo fierent: & ab illo, seu illius mandato admitterentur, & super eis provisiones, & quacumque alia dispositiones, sive temporales, sive perpetuæ, aut ad id mandata Apostolica, sub quacumque forma, & quibuscumque, etiam S. R. E. Cardinalibus, ac piis Locis quantumvis privilegiatis, facta, & publicari deberent, una cum Litteris Apostolicis desuper confectis, intra sex menses, si Beneficia citra Montes essent, ultra vero Montes, intra novem menses, à data concessionis Gratia numerandos. Cumque de forma, & loco hujusmodi publicationum explendarum, plura distinctè præscripsisset; illud etiam providè constituit, ut ii, in quos de Beneficiis hujusmodi resignatis, seu cæsis, sub quacumque forma disponsi, vel mandari contingeret, intra dictum respectivè tempus, eorundem Beneficiorum possessionem, vigore Litterarum Apostolicarum desuper confectarum, apprehendere deberent, vel, si propter litem, aut aliud legitimum impedimentum, hujusmodi possessionem reipà apprehendere non potuissent, saltem Litteras Apostolicas cum earum publicatione, si tunc facta esset, Judicis, seu Executori illarum, vel aliis, ad quos pertineret, intra illud tempus præsentare, & apud illum, vel illos, pro ipsarum Litterarum executione instare, & possessionem hujusmodi instanter petere tenerentur. Quod si quicquam præmissorum omnium omissem fuisset, dictis terminis, ut cuique præscripti sunt, elapsis, voluit, & decrevit, omnes dispositiones, & gratias resignatorum, & cæssorum Beneficiorum hujusmodi, cum omnibus inde sequis, irritas, & inanes esse, nullamque aliam gratiam super iisdem, his, quibus concessa fuissent, suffragari, sed eos ad hujusmodi Beneficia quomodocumque obtinenda inhabiles, & incapaces fore, & esse: ipsaque Beneficia censeri statim à prima resignatione, seu cessione, eo ipso vacavisse, & vacare; & tanquam si: à principio vacantia, à Sede Apostolica dumtaxat impetrari, & respectivè concedi posse; & aliàs, prout in prædicta Constitutione latius, & uberius continetur.

Nos ipsi demum ad Romanæ, & universalis Ecclesiæ gubernacula, licet immerentes, evecti, hanc

C

ip-

cedentium voluntatibus, conditi. nibus, protesta-
tionibus, & clausulis in ipsismet resignationibus,
feu cesionibus, aut Procuratorum Constitutioni-
bus, & mandatis, ac aliis etiam ad preservationem
suorum iurium, & significationem, quod non aliter,
nec alio modo resignant, seu cedunt, appo-
sitis, omnibusque, & angulis aliis, quae idem Gre-
gorius Prædecessor in releta Constitutione voluit
non obitare; Datariae quoque usus, stilis, tole-
rantis, permissionibus, & consuetudinibus, etiam
diuturnis, & inveteratis, in contrarium præmissor-
um quomodolibet facientibus, vel extantibus;
Quibus omnibus, & singulis, illorum omnium, &
singulorum qualitates præsentibus pro sufficienter
expressis habentibus, quatenus eisdem præsentibus
adversantur, specialiter & expressè, motu, scientia,
& potestatis plenitudine paribus, derogamus,
ceterisque contrariis quibuscumque.

Caeterum Dilecto Filio Magistro Joanni Jacobo
Millo Datario nostro, ejusque in Officio hujus-
modi Successoribus in perpetuum, ceterisque ejus-
dem Datariae nostrae Officialibus, ad quos spectat,
& pro tempore spectabit in futurum, ipsarum te-

nore præsentium injungimus, & mandamus, ut hanc
præcepti nostri formam, & methodum à nobis præ-
scriptam præ oculis habentes, eam pro virili parte
singuli adamusim observent, & ab aliis exactissimè
observari faciant; penales quoque sanctiones nos-
tras adversus temerè contravenientes executioni
cum effectu demandent.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc pagi-
nam nostrae confirmationis, approbationis, innova-
tionis, inhibitionis, irritationis, annulationis, vol-
untatis, præcepti, decreti, mandati, & derogatio-
nis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si
quis autem hoc attentare præsumperit, indignatio-
nem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, &
Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Major-
em anno incarnationis Dominicæ millesimo septin-
gesimo quadragesimo sexto, decimo septimo Kalen-
das Junii, Pontificatus nostri anno sexto.
*D. Card. Passionis. J. Datarius, Visa de Curia,
I. C. Bolchi. L. Eugenius. Loco ✕ Plumbi. Regis-
trata in Secretaria Brevium. Publicat. die 25. Ju-
nii 1746.*

DE RESIDENTIA EPISCOPORUM.

BENEDICTUS EPISCOPUS,
Servus Servorum Dei, ad perpetuum
rei memoriam.

AD Universæ Christianæ Reipublicæ, statum ad
Ecclesiasticarum legum custodiam, & fide-
lium populorum salutem, tam magni refert singu-
los Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis,
& Cathedralibus Ecclesiis præpositos, in ipsis Ec-
clesiis, vel Diocesis sibi creditis assiduè residere;
ut difficile sit aliud ullum reperire Ecclesiasticæ dis-
ciplinæ caput, quod aut Conciliaribus Canonibus,
atque Decretis, aut Apostolicæ Sedis Constitutioni-
bus, & Sanctionibus tam sæpe, tanque impensè
inculcatum fuerit, & commendatum. Ut autem
antiquiora Caonica statuta prætereamus, nobis
satis erit innuere, quid hac de re decreverit Sacro-
sancta Tridentina Synodus, *sess. 6. cap. 1. & sess. 23.
cap. 1. de Reformat.* tum ea, quæ recol. mem.
Prædecessor noster Urbanus Papa VIII. præscripsit
in sua Constitutione data apud S. Petrum, die 12.
Decembris, anni 1634. quæ incipit: *sancta Syno-
dus*, & in qua præcedentes aliorum Romanorum
Pontificum Pii V. Gregorii XIII. & Clementis VIII.
Leges, & Constitutiones retulit, confirmavit, &
amplavit. Neque opus est recensere omnes En-
cyclicas litteras, quæ ad Patriarchas, Primate, Ar-
chiepiscopos, & Episcopos de implendo hujusmo-
di residentia onere identidem admonendos ab hac

Apostolica Sede mitti consueverunt, ut patet ex
Epistola jussu Ven. Servi Dei Innocentii Papæ XI.
Prædecessoris quoque nostri scripta die 5. Februa-
rii anni 1678. item ex alia die 24. Decembris, ann.
1707. à felic. record. Clemente Papa XI. ad suum,
& Apostolicæ Sedis Nuncium Neapoli commoran-
tem conscripta, ut illius Regni Præsules ad residen-
dum in propriis Ecclesiis, & Diocesis abigerentur,
neon ex ejusdem Clementis litteris in
forma Brevis, datis die 25. Maii anni 1709. ad Ar-
chiepiscopos, & Episcopos Poloniae, qui obtentu
turbarum, & disensionum, quæ tunc in eo Regno
verfabantur, suas reliquerant Ecclesias, atque
Dioceses.

Neque porro nos hac in re Apostolici Officii
nostri partes desiderari permisimus, vix enim inf-
crutabili diviæ providentiæ consilio, in hac supra-
ma Ecclesiæ universalis specula collocati fuimus,
quam veterem Prædecessorum nostrorum morem
in usum revocantes, ad Ven. Fratres omnium per
Orbem Ecclesiarum Antistes Apostolica scripta
direximus, quibus inter cætera salubria monita,
hoc etiam de residendo in propriis Ecclesiis pecu-
liari studio iis inculcare, & tam gravissima damna,
quæ ex eorum absentia proveniunt, quam magnas
utilitates, quas eorum præsentia conceditis ipsis
Diocesis affert, ante oculos præponere non præ-
termisimus, ut videre est in *§. 4. Epistolæ Ency-
clicæ diei 3. Decembris, anni 1740. à nobis conscrip-*

criptæ, quæ in tomo 1. Bullarii nostri nuper vul-
gati vum. 1. impressa est. Qui autem hominum cor-
da scrutator Deus, is sanè novit quanto, & quam
acerbo animi nostri dolore nonnumquam acceperim-
us; Ecclesiasticas regulas ab aliquo ex fratribus
hac in parte violari, & quantopere studuerimus,
nunc admonendo, nunc obsecrando, nunc incre-
pando, absentes quidem per litteras, & præsentem
vero ipsa voce ad debitum Residentiæ Officium re-
vocare. Quin etiam laudabilibus Prædecessorum
nostrorum vestigiis inhaerentes, in nostra, & Can-
cellariæ Apostolicæ Regula, qua Beneficia in octo
anni mensibus vacatura, nostræ dispositioni, & colla-
tioni reservavimus, simul etiam iisdem Patriarchis,
Archiepiscopis, & Episcopis residentibus gratiam
alternativè mensium, certis modo, & forma ab iis
acceptandam, libenter obtulimus; nimirum, ut
quandiu ipsi apud Ecclesias, aut Dioceses suas ve-
rè, & personaliter residerent, de Beneficiis hujus-
modi Ecclesiasticis, quæ extra Romanam Curiam in
Februarii, aliisque alternis anni mensibus vacare
contingeret, dummodo alias dispositioni Apostolicæ
reservata, vel affecta non essent, liberè disponere
valerent, facultatem tempore Pontificatus nostri
duraturam concessimus, quo scilicet iidem Episco-
pi, & Majores Ecclesiarum Præsules amplio-
rem potestatem in Beneficiis prædictis conferendis sic
obtinentes, hac etiam Apostolicæ nostræ liberalita-
tis gratificatione illecti, ad personalem residentiam
prædictam libentius obediunt adducerentur.

Quoniam vero, & certæ quædam cau-
sæ adesse possunt, & hujusmodi occasione inci-
dere, propter quas, prævio Romani Pontificis as-
sensu, & approbatione, liceat Episcopo à propria
Ecclesia, & Diocesi per aliquod definitum tempus
absente, ea vero absentia, quæ ad modicum tempus
protrahitur, neinvenit desertæ residentia reum
constituit; ideo, & in Conciliis, & in Apostolicis
Constitutionibus ad præcavendos abusus, tam circa
hujusmodi causarum, & occasione relevantiam,
quam circa tolerabilia temporum spatia, provide
statute leges, & regulæ reperiuntur. Et quidem iuste,
ac legitimè absentia causæ à præfata Tridentina
Synodo, *cit. cap. 1. sess. 23.* non aliæ agnitæ fue-
runt, quam Christiana charitas, & urgent necessitas,
debita obedientia, & evidens Ecclesiæ, vel Repu-
blicæ utilitas. Verum his etiam causis deficientibus,
quam eadem Sacrosancta Synodus perpendisset ex
veterum Canonum sententia, minimè abesse videri
eos, qui aliquantisper absunt, & statim sunt rever-
suri; omnibus Ecclesiarum Antilibus indixit, ut
sibi licitum non putarent singulis annis duo, aut
tres ad summum menses, si bene continuos, si-
ve interruptos extra proprias Dioceses commorari,
eosque simul admonuit, ne per illius temporis spa-
tium, Dominici Adventus, Quadragesimæ, Nati-
vitatibus, Resurrectionis Domini, Pentecostes item, &
Corporis Christi diebus ab Ecclesiis suis Cathedra-

libus absente, nisi forte Episcopalia munia in aliis
Diocesium suarum locis eos detinerent; eamque
præterea rationem ab iis haberi voluit, ut absque
ullo Gregis detrimento concessa uterentur libertate,
& ut id æqua ex causa fiat & quibus verbis animi le-
vitate, oblectationum cupiditas, aliæque futiles causæ
penitus excluduntur.

Præfatus autem Urbanus Prædecessor ad pecu-
liares occurrentes casus descendens, Episcopis in
Curia promotis unum concessit mensem (quem
postea declaratum fuit, à die ipsorum promotionis
in Consistorio computandum esse) quo mense elap-
so, singuli ad proprias Ecclesias se conferre debe-
rent. Sed quum in Concilio Romano, habito à felic.
record. Benedicto Papa XIII. Prædecessore pariter
nostro, Episcopi exposuissent, tam exigui temporis
spatio non posse à recens promotis suis in Urbe ne-
gotia expediri, idem Benedictus facultatem concessit
Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali suo, & Romani
Pontificis pro tempore in Urbe, ejusque districti
Vicario, ut præfatum unius mensis terminum, juxta
casuum contingentiam, & causâ cognita, ad alios
quadragesima dies, & non ultra, prorogare posset.

Præterea Episcopis ad Sacra Apostolorum si-
mina statutis temporibus visitanda personaliter ac-
cedentibus supradictus Urbanus Prædecessor indulgit,
ut qui Ecclesiis citra Montes, & citra Mare possit
præsiderent, per quatuor; qui verò ultramontis, &
Ultramontanis Ecclesiis præsent, per septem men-
ses continuos à residentia in suis respective sedibus
facienda, hujusmodi visitationis gratia, excusaren-
tur.

Cum vero idem Urbanus declarasset, se, per ea,
quæ in suis præfatis litteris consueverat, minime
sublatam voluisse dictam trium mensium licentiam
à Concilio indultam; hinc plures ortæ quæstiones,
& varia condita sunt Decreta ab eodem Urbano,
ejusque successoribus approbata, ejusmodi sunt,
non licere trimestrem absentiam prædictam con-
jungere, si-ve cum eo tempore, quo permittitur
Episcopis post suam promotionem in urbe commo-
rari, si-ve cum eo, quod ad peragendam sacrosan-
ctum liminum visitationem eidem concessum fuit; neque
fas esse absentia tempora ita disponere, ut tres
postremi menses unius anni continerentur cum tri-
bus prioribus mensibus anni subsequen-
tis. Sicque etiam videtur prædictos menses conjugere
cum eo anni tempore, quo propter aeris in salubri-
tatem, alicui Episcopo permittitur extra Diocesim
degere; ne scilicet continuas absentia temporibus,
vernos simul, & æstivos menses; si-ve æstivos una
cum autumnalibus extra Diocesim duos contingat.
Denique, ne quis indulgentia Sacri Concilii per-
fraudem abuti posset, declaratum fuit, prædictam
trium mensium vacationem intra ejusque annu-
mites coerceri, ut qui uno usus ea non fuerit,
non ideo sequenti anno diutius ab Ecclesia sua
absente valeat.